De Tobia (Latin)

Ambrose of Milan (c. AD 339–397)

SermonIndex.net / Church Fathers

Sections 1 to 38

Lecto prophetico libro, qui inscribitur Tobis, quamuis plene nobis uirtutes sancti prophetae scriptura insinuauerit, tamen conpendiario mihi sermone de eius meritis recensendis et operibus aput uos utendum arbitror, ut ea quae scriptura historico more digessit latius nos strictius conprehendamus uirtutum eius genera uelut -quodam breuiario colligentes.

fuit uir iustus misericors hospitalis: et hoc uirtutum choro praeditus subiit aerumnam captiuitatis, quam ferebat humiliter atque patienter, communem magis iniuriam quam priuatam dolens nec sibi uirtutum suffragia nihil profuisse deplorans, sed magis eam sibi contumeliam minorem peccatorum suorum pretio inlatam arbitratus.

edictum meruit, ne quis ex filiis captiuitatis mortuum sepulturae daret; at ille interdicto non reuocabatur magis quam incitabatur, ne deserere officium pietatis mortis metu uideretur; erat enim misericordiae pretium poena mortis. talis flagitii deprehensus reus uix tandem per amicum potuit direpto patrimonio egenus exul restitui suis.

iterum in his uersabatur officiis, si quid alimenti foret, peregrinum cum quo cibum sumeret quaerens. itaque cum fessus a sepulturae reuertisset munere, adpositis sibi edendi subsidiis misso filio quaerebat consortem conuiuii. dum conuiua adcersitur, nuntiatis insepulti corporis reliquiis conuiuium deserebat nec putabat pium, ut ipse cibum sumeret, cum in publico corpus iaceret exanimum.

hoc illi cotidianum opus, et magnum quidem; nam si uiuentes operire nudos lex praecipit, quanto magis debemus operire defunctos! si uiantes ad longinquiora deducere solemus. quanto magis in illam aeternam domum profectos, unde iam non reuertantur? ego inquit Iob super omnem infirmum fleui. quis infirmior defuncto, de quo dicit scriptura alibi: supra mortuum plora? Ecclesiastes autem ait: cor sapientium in domo luctus, cor autem stultorum in domo epularum. nihil hoc officio praestantius, ei conferre qui tibi iam non possit reddere, uindicare a uolatilibus, uindicare a bestiis consortem naturae. ferae hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur: homines denegabunt?

Tam sancto fessus officio propheta dum requiescit iu cubiculo suo, cadenti de passerum nido albugine caecitatem incidit. nec conquestus ingemuit nec dixit: \'haec merces laborum meorum?\' fraudari se magis doluit obsequiorum quam oculorum munere nec caecitatem poenam, sed inpedimentum putabat. et cum uictum mercede leuaret coniugis, ne quid fur-

tiuum domum suam intraret cauebat. uxor haedum pro mercede acceperat; at ille plus honestati quam pietati consulens cui suam debebat alimoniam <fidem non deferebat. pecuniam> conmendauerat proximo suo, quam toto uitae suae spatio in tanta indigentia non poposcit. uix ubi se fessum uidit et depositum senectute, insinuauit filio non tam cupiens conmendatum reposcere quam sollicitus ne fraudaret heredem.

quod igitur conmendauit pecuniam et non faenerauit, iusti seruauit officium; malum est enim faenus, quo quaeruntur usurae. sed non illud faenus malum, de quo scriptum est: faenera proximo tuo in tempore necessitatis illius. nam et Dauid ait: iustus miseretur et commodat. aliud illud faenus est iure exsecrabile, dare in usuram pecuniam, quod lex prohibet. sed Tobis hoc refugiebat, qui monebat filium, ne praeceptum domini praeteriret, ut ex substantia sua elemosynam faceret, non pecuniam faeneraret, non auerteret faciem suam ab ullo paupere. haec qui monet condemnat usuras faenoris, ex quo multi quaestum fecerunt et multis conmodare pecuniam negotiatio fuit. et quidem eam prohibuere sancti.

quo grauius malum faenus est, eo laudabilior qui illud refugit. da pecuniam, si habes: prosit alii quae tibi est otiosa. da quasi non recepturus, ut de lucro cedat, si reddita fuerit. qui non reddit pecuniam reddit gratiam. si fraudaris pecunia, adquiris iustitiam; iustus est enim qui miseretur et commodat. si amittitur pecunia, comparatur misericordia; scriptum est enim: qui facit misericordiam faenerat proximo.

Multi dispendii metu non faenerant, dum fraudem uerentur, et hoc est quod petentibus consueuerunt referre. horum unicuique dicitur: perde pecuniam propter fratrem et amicum et non abscondas illam sub lapide in perditionem. pone thensaurum tuum in praeceptis altissimi, et proderit tibi magis quam aurum. sed obsurduerunt aures hominum ad tam salutaria praecepta et maxime diuites aere illo pecuniae suae aures clausas habent. dum pecuniam numerant, responsa non audiunt. simul ut aliqui necessitate constrictus aut pro suorum redemptione sollicitus, quos captiuos barbarus uendat, rogare coeperit, statim dilues uultum auertit, naturam non recognoscit, humilitatem supplicis non miseratur, necessitatem non subleuat, fragilitatem communem non considerat, stat inflexibilis, resupinus, non precibus inclinatur, non lacrimis mouetur, non heiulatibus frangitur, iurans quod non habeat, immo et ipse faeneratorem requirat, ut necessitatibus subueniat suis. quid addis duritiae et auaritiae tuae sacramentum? non absolueris periurio, sed ligans.

at ubi usurarum mentio facta fuerit aut pignoris, tunc deiecto supercilio faenerator adrisit et quem ante sibi cognitum denegabat eundem tamquam paternam amicitiam recordatus. osculo suscipit, hereditariae pignus caritatis appellat, Here prohibet. quaeremus, inquit, domi si quid nobis pecuniae est, frangam propter te argentum paternum, quod fabrefacti est. plurimum damni erit. quae usurae conpensabunt pretia emblematorum? sed pro amico dispendium non reformidabo. cum reddideris, reficiam. itaque antequam det, recipere festinat et qui in summa subuenire se dicit usuras exigit. \'calendis\' inquit \'usuras dabis, faenus interim, si non habueris unde restituas, non requiro\'. ita ut semel det, frequenter exagitat et semper sibi debere efficit. hac arte tractat uirum. itaque prius eum chirographis

ligat et adstringit uocis suae nexibus. numeratur pecunia, addicitur libertas, absoluitur miser minore debito, maiore alligatur.

talia sunt uestra, diuites, beneficia: minus datis et plus exigitis. talis humanitas, ut spolietis etiam, cum subuenitis. fecundus uobis etiam pauper ad quaestum est. usurarius est egenus: cogentibus uobis habet quod reddat, quod inpendat non habet. misericordes plane uiri quem alii absoluitis uobis addicitis. usuras soluit qui uictu indiget. an quicquam grauius? ille medicamentum quaerit, uos offertis uenenum: panem implorat, gladium porrigitis: libertatem obsecrat, seruitutem inrogatis: absolutionem precatur, informis laquei nodum stringitis.

Hanc praecipue iniustitiam deplorat sanctus Dauid dicens: uidi iniquitatem et contradictionem in ciuitate. et non defecit inquit de plateis eius usura et dolus. itaque cum proditionem Iudae subiecerit, hoc praemisit, siue quod ultra sacrilegii inuidiam coniuratis dominicae necis faenoris crimen adcederet siue quod tantum sacrilegium satis abundeque usura faenoris ultum iret. mali faeneratores, qui dederunt pecuniam, ut interficerent salutis auctorem, mali et isti qui dant, ut interficiant innocentem. et iste quoque qui pecuniam acceperit ut proditor ludas laqueo se et ipse suspendit. ipsum quoque ludam hoc maledicto putauit esse damnandum, ut scrutaretur faenerator eius substantiam. quia quod proscriptio tyrannorum aut latronum manus operari solet, hoc sola faeneratoris nequitia consueuit inferre. doctiores autem ipsum faeneratori putant diabolum conparatum, qui res animae et pretiosae mentis patrimonium faenore quodam usurariae iniquitatis euertit. sic sumptu capit, sic auro inlicit, sic reatu inuoluit, sic caput pro thensauro reposcit.

quid uobis iniquius, qui nec sic capitis estis solutione contenti? quid uobis iniquius, qui pecuniam datis et uitam obligatis et patrimonium? accipitis aurum argentumque pro pignore et adhuc illum debitorem dicitis qui uobis plus credidit quam accepit a uobis? uos creditores adseritis, qui amplius debeatis, uos inquam dicitis creditores, qui non homini, sed pignori credidistis.

bene faenus appellatur, quod datis: ita uile ac faeneum est. sortem dicitis quod debetur. etenim uelut urna ferali misera sors uoluitur perituri debitoris luenda supplicio. stant pallentes rei ad sortis euentum. non sic trepidant de quorum damnatione sors ducitur, non sic deiecti ac suspensi pauitant de quorum captiuitate expectatur sortis euentus. illic enim unius captiuitas, hic plurimorum addicitur. et fortasse ideo sors, quia in euentu sunt patrimonia, quae sub hac sorte uoluuntur. magnum et memorabile beneficium dei. hoc specialiter ore prophetico praedicatur, quod in patres contulit, quia ex usuris et iniquitatibus liberauit eos. et proprie ait: ex usuris liberauit eos, quia usurae inferunt seruitutem, quasi diceret: ex seruitutis uinculo ereptos reddidit libertati.

graue uocabulum debitorum. debita peccata dicuntur, debitores quoque criminosi appellantur; sic enim et isti sicut illi de capite decernunt. culpae tamen habent nominum suorum ut factorum diuersitatem: debita quamuis diuersae quantitatis unum habent nomen, unum

onus, unum periculum. nescit ergo quid poscat infelix qui pecuniam petit mutuam: quid accipiat ignorat.

Non nouit pecunia faeneratoris uno diutius loco stare solita transire per plurimos. uno teneri nescit sacculo, uersari\' ac numerari expetit: usum requirit, ut adquirat usuram. fluctus quidam est maris, non fructus. pecunia numquam quiescit. labitur uelut scopulo inlisa: ita gremium debitoris percutit et continuo relabitur eo, unde processit. cum murmure uenit, cum gemitu reuertitur. frequenter tamen placidum stat uentis mare, semper faenoris unda iactatur. mergit naufragos, expuit nudos, uestitos exuit, insepultos relinquit. nummum ergo petis et naufragium suscipis. hinc Charybdis circumstrepit, hinc Sirenes, quae uoluptatis specie et canorae dulcedinis suauitate in uada caeca deductos repetendae domus, ut ferunt fabulae, spe et cupiditate fraudabant.

statim uenditores unguenti et diuersarum specierum inruunt uelut canes quidam sagaci praedae uagantis odore perstricti, uenatores, piscatores, aucupes, caupones quoque miscentes mero aquam, qui nobilitatem uetusti generis et patriae ac natalem diem uini circumsonent. circumstantes repente parasiti quem ante solebant spernere salutant, deducunt, ad laetitiam prouocant, ad sumptum incitant dicentes: uenite et fruamur bonis quae sunt et utamur creatura tamquam iuuentute celeriter. uino pretioso et unguentis nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis. coronemus nos rosis, antequam marcescant. nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra: ubique relinquamus signa laetitiae, quoniam haec est pars nostra et haec est sors.

et uere sors omnis illorum facta est, tu autem remanes exors bonorum. non talis sortis tibi scriptura monstrauit, non inter tales sortes Dauid sanctus memorat dormiendum dicens: si dormiatis inter medias sortes. nam si in medio illarum dormisses sortium, id est ueteris et noui testamenti, non te pecuniae cupiditas in uoraginem deterrimi faenoris demersisset, sed gratia spiritalis fidei tibi dedisset argentum et in speciem auri diuinae sapientiae institutione formasset. etenim si nos unum testimonium diuinae scripturae posuimus et luxuriosum illud conuiuium declinauimus, utique potuit et iste saluari. si oraculis caelestibus inhaesisset.

Reuertamur tamen ad conuiuium, non ut eius degustemus epulas, sed cauendas aliis demonstremus. oneratur mensa peregrinis et exquisitis cibis, adhibentur nitentes ministri magno empti pretio, sumptu maiore pascendi, bibitur in noctem, dies conuiuio clauditur, ebrietati deficit. surgit ille uini plenus, uacuus opum, dormit in lucem, euigilans somnium putat. etenim ut in somnis sibi uidetur subito diues ex paupere, sic etiam egenus ex diuite. dum defluit interim pecunia. usura superfluit. tempus minuitur, faenus augetur: thensaurus exinanitur, sors accumulatur. paulatim conuiuae se subtrahunt, sponsores conueniunt: mane faenerator pulsat ad ianuas, queritur dies solutionis transisse praescriptos, iniuriis uigilantem\' adoritur, in somnis dormientem excitat. non noctes quietae, non dies suauis est, non sol iucundus. detrahuntur paulatim auratae ac sericae uestes et ueneunt dimidio minoris. ponit cum lacrimis ornamenta coniux iam tristior empta carius, uendenda uilius. in auctione pueri constituuntur mensae ministri et male adsueti

emptorem auertunt. offertur pecunia creditori: \'uix\' inquit \'haec soluit usuram, caput debes\'.

redit exhausto patrimonio capitis reus et imminuto faenore, accipit indutias tristiores bellicis quasi post biduum proeliaturus. in bello enim incerta uictoria, hic certa inopia: illic se clipeo tegit, hic nudus occurrit: illic lorica pectus includit, hic carcere totus includitur: illic manus telis onerat, armat sagittis, hic aere uacuas offert uinculis adligandas. ducitur plerumque uterque captiuus: ille habet quem accuset aduersum belli euentum, hic praeter se quem accuset non habet. nihil est intolerabilius ea miseria, quae excusari non potest. acerbat conscientia pondus iniuriae.

tunc secum reputat, tunc scripturas recordatur, tunc dicit: nonne mihi scriptum est: bibe aquam de tuis uasis et de puteorum tuorum fontibus. quid mihi cum puteo faeneratoris, ubi et aqua\' includitur? suauiora erant holera cum securitate quam alieno partae epulae cum sollicitudine. non oportuit aliena quaerere. deinde incideram debita, de meis oportuit fontibus remedium quaerere. erant domi uasa minutiora. melius erat ministerium deesse quam cibum, melius uestem uenalem proponere quam libertatem addicere. quid profuit quod publicare paupertatem meam uerecundatus sum? ecce alius publicauit.

ego nolui nutritores uendere, ecce alius adiudicat. sera haec consideratio. tunc decuit metuisse tuis, cum acciperes aliena: tunc decuit succurrere, cum uulnera prima proserperent. melius fuerat in principio tenuare sumptum et necessitatem debiti rei familiaris angustiis ableuare quam ut ad horam ditatus alienis postea exuereris et propriis.

Accusamus debitorem. quod inprudentius se gesserit, sed tamen nihil nequius faeneratoribus, qui lucra sua aliena damna arbitrantur et dispendio suo deputant quidquid ab aliis possidetur. aucupantur heredes nouos, adulescentulos diuites explorant per suos, adiungunt se simulantes paternam atque auitam amicitiam, uolunt domesticas eorum cognoscere necessitates. si quam causam inuenerint, accusant uerecundiam, pudorem arguunt, quod non ante de se speratum fuerit atque praesumptum; sin uero nullos laqueos alicuius necessitatis offenderint. intexunt fabulas, aiunt nobile praedium esse uenale, amplam domum, accumulant prouentus fructuum, annuos reditus exaggerant, hortantur ut coemat. similiter faciunt pretiosas uestes et monilia nobilia praedicantes. neganti se habere pecuniam ingerunt suam dicentes: \'utere ut tua;

de fructibus emptae possessionis pretium multiplicabis, debitum reddes\'. praetendunt alienos fundos adulescenti, ut eum spolient suis: tendunt retia, simul ut indagine cincta spatia fuerit ingressus, cogunt eum in retia cautionum, laqueos usurarum; petunt obligari sibi auitum praetorium, paternum sepulchrum. praestituitur dies solutioni, dissimulatur conuentio, quando potest solutio sustineri. ubi satis securum reddiderint, repente ingruunt et instant uehementius, causanti incumbunt dicentes: \'tu possides tua praedia, nos nostram pecuniam non habemus: aurum dedimus, lignum tenemus: tibi fructuum emolumenta procedunt, nobis nihil accrescit pecuniae. otiosa causatio est: saltem renouetur chirographum\\

Itaque dum primo adulescens nihil putat de uestibus suis aut etiam possessionibus esse uendendum aut ad haec facienda poscit dilationem, usurae adplicantur ad sortem, adcumulatur centesima. iam suspirare incipit, iam malum suum agnoscere. die ac nocte usuram cogitat, quicquid occurrerit, faeneratorem putat, quicquid crepuerit, uocem sibi uidetur faeneratoris audire. si habes, cur non soluis? si non habes, cur malum malo adiungis et de uulnere quaeris remedium? cur cotidie obsidionem pateris faeneratoris, expugnationem times? uetus sententia est: faeneratoris et debitoris sibi occurrentium prospectum amborum facit dominus. alter quasi <canis> praedam requirit, alter aperta quasi praeda declinat: ille quasi leo quaerit quem deuoret, iste quasi bos iuuenculus praedonis impetum reformidat: ille quasi accipiter unguibus olorem quaerit inuadere, iste quasi anser aut fulica mauult se uel in praerupta deicere uel in profunda demergere quam istum humani corporis accipitrem sustinere. quid cotidie fugis? etsi non occurrat faenerator, occurrit tibi inopia tamquam bonus cursor. ambos ergo uidet dominus, faeneratorem et debitorem, occurrentes sibi ambos spectat testis alterius iniquitatis, alterius iniuriae: illius auaritiam condemnat, huius stultitiam. ille gressus debitoris singulos numerat, aucupatur deflexus: iste continuo post columnas caput obumbrat; nullam enim habet debitor auctoritatem. ambobus in digitis usurarum repetitur saepius calculatio. par cura, sed dispar allectus: alter laetatur incremento faenoris, alter cumulo debitionis adfligitur, ille quaestus numerat, hic aerumnas.

Quid fugis hominem, quem poteras et non timere? quid fugis aut quousque fugies? si quis pulsauerit nocte, faeneratorem putas: sub lectum ilico. si quem subito intrare senseris, tu foras exsilis. canis latrat, et cor tuum palpitat, sudor effunditur, anhelitus quatit, quaeris quid mentiaris ut faeneratorem differas, et, cum dilationem inpetraueris, gaudes. funere tuo simulat se faenerator grauari, sed libenter inpertit: quasi uenator, qui feram cinxerit, securus est praedae. tu oscularis caput, amplecteris genua et quasi ceruus sagittae toxico ictus paululum procedens tandem uictus ueneno procumbis aut quasi piscis, qui fuscina fuerit infixus, quocumque fugerit uulnus uehit. et uere piscis ille in esca mortem deuorat, ille hamum gluttit, dum cibum quaerit, sed tamen hamum non uidet, quem tegit praeda: tu hamum cernis et gluttis. hamus tuus faenus est creditoris, hamum uoras et uermis te semper adrodit. ipsa est esca, quae decipit. itaque et tibi faenoris nec cibus usui est et hamus uulneri. an ignoras quia semel inlaqueatus nodo se magis, si fugiat, ipse constringit et intra retia positus fugiendo magis deicit super se retia? in plateis fugis, cum intra parietes tutus esse non possis. inuenit te, cum uoluerit, faenerator. denique ubi tempus impleueris. sicut lupus nocte inruit, dormire non sinit, expectato die ad publicum trahit aut tabulis uenditionis cogit suscribere. ut fureris pudoris dispendium, subscribis ilico uenditurus auitum sepulchrum, paterno sane ut praetexatur aliquid uerecundiae. emitur ieiunum solum, iactatur quod infecunda uendiderit, dispendiis onerauerit uenditorem, et superioris temporis adscribuntur dispendiis damna praesentis. mox et laudata uenduntur et inferuntur iam non instrumenta, sed uincula.

Tamen adhuc quaerenti fideiussores tribuuntur indutiae, non ut praedam libertatis inueniat, sed ut consortem seruitutis adiungat, qui se societ aerumnoso. at quid iuuare potest alienae calamitatis accessio? iam et amici fugiunt, conuiuae non recognoscunt: ipse quoque

conspectus omnium refugit et ut pugil ictus uarios concertantium ita iste honestorum uitat occursus et sollicitus, ubi in aliquem offenderit, uigilanti exit obtutu. redit paratus ad uincula, redit mortem optans, cogitans eam sibi, si moreretur, (moram> inferre. redit misere se ipse condemnans, quod alienam pecuniam non refugerit et faeneratoris se aere deuinxerit.

o quantos miseros aliena fecerunt bona? quid tibi, inquit ut bibas aquam Geon? quid inquam tibi, ut biberes calicem faeneratoris? \'multi\' inquit \'mutuati ad tempus et necessitatibus consuluerunt suis et pecuniam reddiderunt). et quanti se propter faenus strangulauerunt? illos consideras, hos non numeras. reminisceris euasisse aliquos, non reminisceris oppetisse: nummos redditos imputas, laqueos adpetitos non conputas, quos deformitati tam dedecoris conuentionis plerique uerecundiores ad contumeliam, fragiliores ad iniuriam expetito interitu praetulerunt opprobrium uitae amplius quam mortis supplicium pertimescentes.

1 Uidi ego miserabile spectaculum, liberos pro patemo debito in auctionem deduci et teneri calamitatis heredes, qui non essent participes successionis, et hoc tam immane flagitium non erubescere creditorem. instat urguet addicit. \'mea\' inquit \'nutriti pecunia pro alimonia seruitium recognoscant, pro sumptu licitationem subeant. agitetur hasta de pretiis singulorum\'. non inmerito hasta agitatur, ubi caput quaeritur: non inmerito ad auctionem peruenitur, ubi sors poscitur. haec est faeneratoris inhumanitas, haec debitoris stultitia, ut filiis, quibus pecuniam non relinquit, libertatem auferat, pro testamento chirographum dimittat, pro emolumento hereditatis syngrapham obligationis. quid sibi uult paterni in liberos scriptura maledicti, ubi nulla est impii offensa peccati? an potest durius aliquod esse maledictum grauiusque seruitium? et illa saepe post mortem habet defunctus conpendia, quod non spectat miserias filiorum.

uendit plerumque et pater liberos auctoritate generationis, sed non uoce pietatis et ad auctionem pudibundo uultu miseros trahit dicens: 'soluite, filii, gulae meae sumptum, soluite paternae mensae pretium; uomite quod non deuorastis, reddite quod non accepistis, hoc meliores, quod uestro pretio redimitis patrem, uestra seruitute paternam emitis libertatem.\'

Esto ut aliquis qui subuenire possit accedat. quis tantam expleat Charybdin, quis rationes faeneratoris agnoscat, quis auaritiam satiet. quae non iste pretia exaggeret, cum uiderit redemptorem? non enim suo magis lucro quam alieno detrimento pascitur. uera profecto, uera est utpote dei diuina sententia. qui cum iratus esset propter impietatem populi Iudaeorum, quod post deos abiret alienos, cui inquit faeneratori uendidi uos? uenditur enim qui obligatus fuerit faeneratori et uenditur non uno pretio, sed cottidiano, uenditur non cum definitione, sed cum accessione diuturna. noua usurarum auctio per menses singulos, noua sub cotidiana licitatione uenditio. qui plus optulerit trahit semper, uenalis addicitur, numquam quasi uenditus aestimatur. magna igitur uis caelestis sententiae. non satis iudicauit dominus dicere: cui uendidi uos? addidit faeneratori. offensus nihil potuit grauius inuenire, quo uindicaret in perfidos. derelictus expostulat, cur ita fugerint salutis auctorem, quasi faeneratori eos alicui dominus uendidisset digna poena dominum relin-

quentis. habent serui quod amplius quam carceris poenas et uincula reformident, habent liberi quod paueant pro libertatis incuria.

simul illud aduerte quod faeneratio praeuaricationis materia iudicata sit, quod is facile recedat a domino qui faeneratori se potuerit obligare; faenus enim radix mendacii, causa perfidiae est. \'ego uos\' inquit \'non uendidi, sed peccatis. catis uestris uenditi estis\'. ergo qui se faeneratori obligat ipse se uendit et quod peius est, uendit se non aere, sed culpa.

Quis iste peccati est faenerator nisi diabolus, a quo Eua mutuata peccatum obnoxiae successionis usuris omne genus defaenerauit humanum? denique quasi malus faenerator chirographum tenuit, quod postea dominus suo cruore deleuit. etenim quod mortis erat scriptum apicibus debuit morte dissolui. faenerator ergo diabolus. denique ostendebat saluatori diuitias suas dicens: haec omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. at uero dominus aeris solutor alieni nihil ipsi debebat, qui poterat dicere: ecce uenit huius mundi princeps et in me suum non inuenit nihil. nihil debebat, sed soluebat pro omnibus, sicut ipse testatur dicens: quae non rapui tunc exoluebam.

quid distat malitia huius principis mundi? faenerator pecuniae caput obligat, manum tenet, sortem ducit, centesimam exigit. o nomen triste de dulci! dominus ouem centesimam liberauit - illa centesima salutis, haec mortis est — et terra bona centuplum fructum reddit. uae his qui dicunt quod amarum est dulce et quod dulce amarum! quid amarius usura, quid dulcius gratia? nonne hoc ipso sermone, quo centesimam appellant, reuocare deberent in memoriam redemptorem, qui uenit centesimam ouem saluare, non perdere?

quis grauior exactor est? et hoc triste nomen. denique dominus ait: populus meus, exactores uestri cirumscribunt uos, et in euangelio habes: dum uadis cum aduersario tuo ad magistratum, da operam liberari ab illo, ne forte perducat te ad iudicem et iudex tradat te exactori et exactor mittat te in carcerem. quis iste sit exactor agnosce, qui etiam nouissimum quadrantem exigit et idem se creditorem uocat atque in hoc etiam nomine fraudem facit ut qui ueneni poculum melle inlinit. ut sub grato odore mors lateat atque inlita calicis ora uim fraudis abscondant. creditor praetexitur quasi fidelis et quasi incredulus, ad quem fidelis obpignorat.

Quotiens uidi a faeneratoribus teneri defunctos pro pignore et negari tumulum, dum faenus exposcitur? quibus ego adquieui libenter, ut suum constringerent debitorem, ut electo eo fideiussor euaderet; haec sunt enim faenoris leges. dixi itaque: tenete reum uestrum et, ne uobis possit elabi, domum ducite, claudite in cubiculo uestro carnificibus duriores, quoniam quem uos tenetis carcer non suscipit, exactor absoluit.) peccatorum reos post mortem carcer emittit, uos clauditis: legum seueritate defunctus absoluitur, uobis tenetur; certe hic sortem suam iam memoratur implesse. non inuideo tamen pignus uestrum reseruare. nihil interest inter funus et faenus, nihil inter mortem distat et sortem: personat, personat funebrem ululatum faenebris usura. nunc uere capite minutus est quem conuenitis; uehementioribus tamen nexibus alligate, ne uincula uestra non sentiat. durus et rigidus est

debitor et qui iam non nouerit erubescere. unum sane est, quod non timere possitis, quia poscere non nouit alimenta' a). iussi igitur

leuari corpus et ad faeneratoris domum exsequiarum ordinem duci; sed etiam inde clausorum mugitu talia personabant. ibi quoque funus esse crederes, ibi mortuos plangi putares, nec fallebat sententia nisi quod plures constabat illic esse morituros. uictus religionis consuetudine faenerator — nam alibi suscipi pignora etiam ista dicuntur — rogat ut ad tumuli locum reliquiae deferantur. tunc tantum uidi humanos faeneratores, grauari me: tamen ego eorum humanitatem memorabam prospicere, ne postea se quererentur esse fraudatos, donec feretro colla subiecti ipsi defunctum ad sepulchra deducerent, grauiore maerore deflentes pecuniae suae funus.

Aliud non minoris acerbitatis accipite. obseruant isti aleatorum conuenticula et perdentis aerumnam commoditatem suam iudicant. spondent pro singulis: uarios primo sors ludit euentus, ad diuersos saepe transfertur uictoria stipendiaque eius uicissim atque aerumna mutantur. omnes uincuntur et uincunt, faenerator solus adquirit: penes alios inane nomen quod uicerint, penes solum faeneratorem fructus est, non annuus, sed momentarius: illi soli lucrum faciunt in omnium detrimento, illis solis est usura uictoriae. uideas reliquos subito egentes, repente diuites, deinde nudos, singulis iactibus statum mutantes. uersatur enim eorum uita ut tessera, uoluitur census in tabula, fit ludus de periculo et de ludo periculum; quot propositiones tot proscriptiones. clamor plaudentium, fletus despoliatorum, gemitus deplorantium. sedet inter hos creditor ut tyrannus, damnans unumquemque sorte capitali, agitat hastas, feralem instituit de singulorum exuuiis auctionem. alios proscriptioni addicit, alios seruituti: non tanti occisi sub tyrannis sunt. uitae igitur hanc aleam rectius dixerim quam pecuniae; sub momento fertur quod ualeat in aeternum. ebrietas iudicat et nullus appellat. habet et alea suas leges, quas fori iura non soluant. notatur, si credi potest, infamia qui putauerit renitendum et infamium sententia grauius quam censura iudicialis inurit opprobrium, quoniam qui apud iudicem damnantur apud illos gloriosi sunt, qui apud illos damnantur et apud iudicem criminosi sunt. nobile Moyses constituit seniorum iudicium: hi tamen de leuioribus iudicabant, uerbum graue, hoc est de potioribus negotiis Moysi iudicio reseruare consueuerant. hic dicitur: ('aleonum concilium iudicauit\', et plus eorum timetur potentia quam leonum. inter has feras uiuis, faenerator, atque uersaris, his bestiis cibum eripis, his taetrior aestimaris, his! crudelior plus timeris.

Sections 39 to 70

Ferunt Chunorum populos omnibus bellum inferre nationi-I bus, faeneratoribus tamen esse subiectos et cum sine legibus uiuant, aleae solius legibus oboedire, in procinctu ludere, tesseras simul et arma portare et plures suis quam hostilibus, iactibus interire, in uictoria sua captiuos fieri et spolia suorum perpeti, quae pati ab hoste non nouerint, ideo numquam belli studia deponere, quod uictus aleae ludo, cum totius!i praedae munus amiserit, ludendi subsidia requirat bellandi periculo, frequenter autem tanto ardore rapi, ut, cum ea quae sola magni aestimant uictus arma tradiderit, ad unum aleae iactum uitam suam potestati uel uictoris uel faeneratoris addicat. denique constitit quod quidam eorum et imperatori Romano cognitus in fide pretium seruitutis, quam sibi tali sorte superatus intulerat, suppliciis imperatae mortis exsoluerit. premit ergo faenerator etiam colla Chunorum et eos urget in ferrum, premit barbaros suae terrore saeuitiae.

Quid enim taetrius eo qui hodie faenerat et eras expetit? et odibilis inquit homo huiusmodi. oblatio quidem blanda, sed inmanis exactio. uerum ipsa oblationis humanitas facit exactionis saeuitiam. protulit pecuniam, hypothecas exigit atque in suis apothecis recondit. una pecunia a faeneratoribus datur et quam multa a debitoribus exiguntur! quanta sibi fecerunt uocabula! nummus datur, faenus appellatur: sors dicitur, caput uocatur: aes alienum scribitur, multorum hoc capitum inmane prodigium numerosam exactionem efficit: syngrapham nuncupat, chirographum nominat, hypothecas .

fiagitat: pignus usurpat, fiducias uocat: obligationem adserit, usuras praedicat, centesimas laudat. echinna quaedam est faeneratoris pecunia, quae tanta mala parturit. echinna tamen fecunda poenis uiscera trahens partu suo rumpitur et morte materna docet subolem non esse degenerem in matrem. igitur < ut> primum incipiunt esse serpentes illam morsibus suis scindunt. illic ubi nascitur uenenum primum probatur. pecunia autem faeneratoris omnia mala sua concipit: parit, nutrit atque ipsa magis in subole sua crescit tristi prole numerosior, non minus flexuosa quam serpens atque in orbem tota se colligens, ut caput seruet, reliquo flagellat corpore, illud solum producit ad uulnera: spiris ingentibus quos conprehenderit ligat, solo capite interficit: saluo capite, etiamsi reliqua pars eius dilapidata fuerit, reuiuiscit.

diuersa quoque serpentibus sunt conueniendi et parturiendi tempora, pecunia faenebris a die initae conuentionis crescentibus serpit usuris, quae parturire non nouit, quia dolores

magis in alios ipsa transfundit. ibi dolores sicut parturientis. unde etiam toxoo; Graeci usuras appellauerunt eo quod dolores partus animae debitoris excitare uideantur. ueniunt calendae. parit sors centesimam: ueniunt menses singuli, generantur usurae, malorum parentum mala proles. haec est generatio uiperarum. creuit centesima: petitur, non soluitur: adplicatur ad sortem. fit maledictum propheticum dolus in dolo, usura inprobi seminis fetura deterior. itaque non iam centesima incipit esse, sed summa, hoc est non faenoris centesima, sed faenus centesimae.

Usuram quoque ab usu arbitror dictam, quod ut uestes usu ita usuris patrimonia scindantur. lugubre cerae prima littera sonat. parturit uox doloris est. quid ibi boni esse potest, quod a dolore incipit et ab obligatione? lepores ferunt generare simul et educare et continuo parturire: istis quoque anaglyphariis usurarum generatur et supergeneratur usura. enutritur ac nascitur et nata iam parturit. radices quoque arborum primo plantantur, ut prendant; cum prenderint, tunc uirescere incipiunt, postea pullulare: at uero pecunia faenebris uix plantata iam pullulat. semina tempore erumpunt, animalia tempore pariunt; tempus enim pariendi et tempus moriendi, tempus plantandi et tempus uellendi plantatum, tempus occidendi et tempus sanandi et infra: tempus adquirendi et tempus reddendi, tempus custodiendi et tempus expellendi, ut Ecclesiastes ait: pecunia faenebris hodie seminatur, eras fructificat: semper parit et numquam interit: semper plantatur, uix euellitur. uult semper faenerator adquirere, numquam perdere, numquam custodire pecuniam suam, semper expellere, numquam sanare, semper occidere.

et quia bonus ad omnia magister Ecclesiastes liber est Solomonis, paulisper ipsi inhaereamus. non satiabitur inquit oculus uidendo et non satiabitur auris auditu. nec faenerator expletur accipiendo nec affectus eius cotidiano numerandi aeris satiatur auditu. et iterum: omne quod fuit ipsum est quod erit. crescit semper pecunia, otium nescit auaritia, usura ferias. omnes inquit torrentes uadunt in mare et mare e non adimpletur. mare istud faenerator est; omnium patrimonia tamquam fluctus absorbet et ipse nescit expleri. mari tamen plerique utuntur ad quaestum, faeneratore nemo utitur nisi ad dispendium: illic multorum commodum est, hic uniuersorum naufragium.

multa sunt animantia, quae cito generare incipiunt, sed cito etiam generare desistunt: sors cito generat et numquam desinit, immo cum exordium crescendi acce-I perit, in infinitum extendit augmentum. omne deinde quod crescit, cum ad naturae suae formam atque mensuram magnitudinemque peruenerit, uacat incremento, sed faeneratorum pecunia tempore semper augetur et ultra formam maternae sortis excedens modum ! non continet. pleraque etiam animantium cum coeperint ea quae ex his sunt orta generare, tamquam effetis uiribus usum generationis amittunt: sors autem faenoris cum fuerit crescentibus exaequata centesimis, et uetustatem sui renouat et partus solitos adiunctione multiplicat.

I Non nouum nec perfunctorium hoc malum est, quod ueteris atque diuinae praescripto legis inhibetur. populus, qui despoliauerat Aegyptum, qui pede transierat mare, monetur a faenoris pecunia cauere naufragia. et cum de aliis peccatis semel aut multum iterata admonitione praescripserit, de faenore saepius intimauit. habes in Exodo: quodsi pecu-

niam faeneraueris pupillo, orphano, pauperi, aput te non suffocabis eum, non inpones illi usuram. ostendit quid sit suffocare, id est usuram inponere; strangulat enim et quod peius est animam laqueus creditoris. quo sermone et praedonis uiolentiam et deformis nodum mortis expressit: quodsi pignus acceperis uestimentum propinqui tui, ante solis occasum restitues illud; est enim hoc coopertorium eius tantum, hoc uestimentum turpitudinis eius. in quo dormiet? quod si itaque proclamauerit ad me, exaudiam eum. audistis, faeneratores, quid lex dicat, de qua dixit dominus: non ueni legem soluere, sed inplere? quam dominus non soluit uos soluitis? \'usuram* inquit \'petere suffocare est). hoc quoque foris sero est dictum a quibusdam eorum prudentibus: quid est faenerare? hominem inquit occidere. sed utique non Cato prior quam Moyses, qui legem accepit. multo ille posterior.

si pignus acceperis uestimentum propinqui tui, ante solis occasum restitues illud, ne nudati appareat turpitudo: uos uero exuitis atque nudatis et non redditis. uidete ne sol occidat super auaritiam uestram, ne sol iustitiae uobis occidat, quia iustitiam non tenetis, aut sol iniquitatis super flagitia uestra condatur. dies quoque perit inuito, nox inruit sicut Iudae, qui cum diabolus se misisset in cor eius, surrexit ad proditionem et facta est nox; sol enim iustitiae occiderat ei ac super eum recubuerat qui in cor eius intrauit. fecit illi tenebras, ut lucis non uideret auctorem. ibi miser periit in illo conuiuio, quo alii saluantur. reddite igitur uestimentum debitori, in quo dormiat et quietus sit. si nolueris reddere, exaudiam inquit eum, quia misericors sum. si uos non exauditis, ego exaudiam, ego miserebor, ego non despiciam inopis precem.

In Deuteronomio quoque scriptum est: non exiges a fratre tuo usuram -pecuniae et usuram escarum et usuram omnium rerum, quascumque faeneraueris fratri tuo. si alienigenae credideris, usuram exiges ab eo, a fratre autem tuo non exiges. uides quantum pondus in uerbis sit. (noli exigere) inquit (usuram a fratre tuo\\ hoc est: cum quo debes omnia habere communia. ab eo tu usuram exigis? frater tuus consors naturae et coheres gratiae: noli ab eo exigere amplius a quo durum est repetere quod dederis, nisi cum habuerit unde dissoluat.

et quia plerique refugientes praecepta legis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tamquam usurarum emolumenta percipiunt, ideo audiant quid lex dicat. neque usuram inquit escarum accipies neque omnium rerum, quascumque faeneraueris fratri tuo. fraus enim ista et circumscriptio est legis, non custodia. et putas te pie facere, quia a negotiatore uelut mutuum suscipis? inde ille fraudem facit in mercium pretio, unde tibi soluit usuram. fraudis illius tu auctor, tu particeps, tibi proficit quidquid ille fraudauerit. et esca usura est et uestis usura est et quodcumque sorti accedit usura est. quod uelis ei nomen inponas, usura est. si licitum est, cur uocabulum refugis, cur uelamen obtexis? si inlicitum, cur incrementum requiris?

quod peius est, hoc uitium plurimorum est et maxime diuitum, quibus hoc nomine instruuntur cellaria. si quis instaurandum conuiuium putat, ad negotiatorem mittit, ut absentiati cupellam sibi gratis deferat: ad cauponem dirigit, ut Picenum uinum aut Tyriacum requirat, ad lanium, ut uuluam sibi procuret, ad alium, ut poma adornet. itaque humanitatem iu-

dicant quae alieno constant periculo. tu bibis et alius diffluit lacrimis, tu epularis et alios cibo tuo strangulas, tu symphonia delectaris et alius miserabili deplorat ululatu, tu poma degustas et alius spinam uorat. numquid colligunt de spinis uuas aut de tribulis ficus? spina usura est, spina centesima est, tribulus faenus est, male urit. quomodo ergo potes fructum habere de spinis? si iste fructus de spinis non nascitur, ille nascetur aeternus? de aerumnis ditaris, de lacrimis lucrum quaeris, de fame aliena pasceris, de exuuiis despoliatorum hominum cudis argentum et iudicas te diuitem, qui stipem poscis a paupere? sed audi quid dicat saluator: uae uobis diuitibus, qui habetis consolationem uestram!

Sed forte dicas quia scriptum est: alienigenae faenerabis et non consideras quid euangelium dicat, quod est plenius. sed hoc interim sequestremus: legis ipsius uerba considera. fratri tuo non faenerabis inquit ad usuram; alienigenam exiges. quis erat tunc alienigena nisi Amalech, nisi Amorraeus, nisi hostis? ibi inquit usuram exige. cui merito nocere desideras, cui iure inferuntur arma, huic legitime indicuntur usurae. quem bello non potes facile uincere, de hoc cito te potes centesima uindicare. ab hoc usuram exige quem non sit crimen occidere. sine ferro dimicat qui usuram flagitat, sine gladio se de hoste ulciscitur qui fuerit usurarius exactor inimici. ergo ubi ius belli, ibi etiam ius usurae. frater autem tuus omnis, fidei primum, deinde Romani iuris est populus: narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiae laudabo te.

denique etiam in Leuitico praescribit lex usuram a fratre non esse poscendam. sic enim habes: et uiuet frater tuus tecum. pecuniam tuam non dabis illi in usuram et in amplius recipiendum non dabis illi escas tuas. generaliter haec sententia dei omne sortis exclusit augmentum. unde et Dauid et benedictum aestimauit et dignum habitatione caelesti qui pecuniam non dedit in usuram. si ergo qui non dedit benedictus, sine dubio maledictus qui ad usuram dedit. cur ergo maledictionem potius eligis quam benedictionem? potestis benedicti esse, si uelitis, potestis iusti esse. homo enim iustus secundum Ezechiel qui pignus debitori reddet et pecuniam suam in usuram non dabit et superabundantiam non accipiet et ab iniustitia auertet manum suam. iustus est iste; uita inquit uiuet, dicit dominus. qui autem pignus non reddidit et in simulacra apposuit oculos suos, iniquitatem fecit. cum usura dedit et superabundantiam accepit, hic uita non uiuet. omnes iniquitates istas fecit, morte morietur, sanguis eius super ipsum erit. uide quomodo faeneratorem cum idolatra copulauit, quasi crimen aequaret. elige ergo quod dulce est.

Cur semper tristes, cur semper amarissimi, cur semper solliciti? procedat aliquando a uobis misericordia, procedat ueritas: ablegetur mendacium, fraus odio sit. docuistis periurium. faeneratorium sacramentum dicitur, ubi paratur periurium. peieratis frequenter, cum reddita fuerit pecunia, quod syngrapha non appareat, peieratis postea quod non receperitis pecuniam. nolite ergo semper miseri esse, semper auari, semper maesti. leones sunt et feritatem suam mutant. de manducante inquit exiuit esca et de forte et tristi exiuit dulce. Graecus \'et tristi habet; sic, inuenimus. tamen de forte hoc intellegitur, quia leo fortis est feritate et qui ferus tristis. et de uobis, qui pecuniam et auaritiam deuoratis, exeat misericordia — haec enim esca est egenorum — et de tristi exeat dulce, ut dimittatis ei qui non

habet unde dissoluat. quid trahitis peccata ut fune longo et ut iugi loro uitulae? quod fit utique, cum faenus producitis. tenetis pauperem debitorem: uel ibi sit aliqua gratia, ubi nulla spes commodi. et hoc secundum uestram auaritiam loquor.

Ceterum dominus in euangelio talibus magis existimat faenerandum, a quibus redhibitio non speretur. sic enim ait: etsi mutuum dederitis a quibus speratis recipere, quae uobis est gratia? nam peccatores peccatoribus faenerant, ut recipiant. uerum tamen amate inimicos uestros et benefacite et mutuum date nihil sperantes, et erit merces uestra multa in caelo et eritis filii altissimi, quia ipse benignus super ingratos et malos. estote misericordes, sicut et pater uester misericors est. aduertitis misericors est nomen a domino faenerator acceperit, quod nomen etiam qui faenori uestro fuerit obligatus. peccatores inquit peccatoribus faenerant, ut recipiant. uterque peccatores, et faenerator et debitor. uos autem amate inquit inimicos uestros. non discutiatis quid mereantur inimici, sed quid uos facere oporteat. date mutuum his a quibus non speratis uos quod datum fuerit recepturos. nullum hic damnum est, sed conpendium. minimum datis, multum recipietis. in terra datis et id uobis soluetur in caelo: faenus amittitis, mercedem magnam habebitis: faeneratores esse desinitis, filii eritis altissimi: eritis misericordes, qui uos aeterni patris probetis heredes.

Sed faeneratorum uos delectat et usurarum uocabulum. id quoque non inuideo. docebo quomodo boni faeneratores esse possitis, quomodo bonas quaeratis usuras. dicit Solomon: faenerat domino qui miseretur pauperi, secundum datum autem eius retribuet ei. ecce bonum faenus de malo factum est, ecce inreprehensibilis faenerator, ecce usura laudabilis. nolite ergo iam me inuidentem uestris commodis aestimare. putatis quod hominem uobis subtraham debitorem? deum prouideo, Christum subrogo, illum demonstro qui uos fraudare non possit. faenerate ergo domino pecuniam uestram in manu pauperis. ille adstringitur et tenetur, ille scribit quidquid egenus acceperit — euangelium eius cautio —, ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem. quid dubitatis dare? si quis uobis diues huius saeculi offertur, qui fide promittit sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam. pauper est nobis dominus caeli et conditor mundi huius, et adhuc deliberatis, quem ditiorem quaeritis fideiussorem.

sed allegatis quia pauper est factus, cum diues esset. uidistis ergo quia fides eius diues est, fides eius idonea est. pauper est factus, cum pro nobis solueret, et adhuc paupertas ipsa non decipit; nos enim diuites fecit, quos pauperes putabatis. dicit enim apostolus: pauper factus .. est, cum diues esset, ut in illius inopia uos ditaremini. bona inopia quae largitur diuitias. nolite ergo uos paupertatem timere, ut sitis diuites. date otiosam pecuniam et recipietis fructuosam gratiam et pauperum subuenietis necessitatibus et uobis custodiae sollicitudo minuetur. non peribit quod pauper acceperit et uobis quod dederitis inopi sine custode seruabitur. quodsi incrementum quaeritis usurarum. in lege benedictio, in euangelio caelestis est merces. quid suauius benedictione, quid maius est caelo? si escarum . desideratur usura, ea quoque praesto est, sicut legimus; is enim qui miseretur pauperis ipse pascitur.

Reddite ergo pignora, quae tenetis, quoniam fideiussorem idoneum repperistis. sed obmurmurant adhuc dicentes quia licet tenere pignora et se lege defendunt. aiunt enim: scriptum in Deuteronomio: si debitum fuerit tibi a proximo tuo quodcumque, non introibis in domum ipsius pignorare pignus, sed foris stabis, et homo aput quem est debitum tuum proferet tibi foris pignus. si autem homo ille pauper fuerit, non dormies in pignore ipsius, sed redditione reddes ei pignus ipsius ad occasum solis, et dormiet in uestimento suo et benedicet te et erit in te misericordia coram domino deo tuo. et alibi, inquiunt, scriptum est: non pignorabis molam neque lapidem superiorem molae, quoniam <animam> hic pignorat. et alibi: non accipies pignus uestimenti uiduae. unde argumentantur quia specialia pignora sint interdicta - non omnia -, id est pauperis et uiduae, molam quoque et lapidem superiorem- rem molae prohibitum pignorari.

sed cum per Ezechiel prophetam ipse dominus dicat iustum esse qui pignus reddidit, iniustum qui tenuit, utique non speciale aliquod, sed generaliter omne pignus suadet esse reddendum. cum dicat Iob: conscriptionem quam habui aduersus aliquem iuramento conceptam, inponens coronam legebam, et si non scindens eam reddidi nihil accipiens a debitore. cum dominus nihil ab his quibus mutuum dederimus sperandum esse praecipiat, quod recipere debeamus, quomodo pignus secundum legem putant esse retinendum?

Ac ne pari recrudescant modo et dicant etiam ad faenerandum se incitari legis oraculo, quia scriptum est: faenerabis gentibus multis, tu autem non mutuaberis, tempus est plenius et expressius disputare et docere quid faenerandum et quibus legis statuta praescribant; praecedit enim faenoris causa pignoris causam. mutuabitur inquit peccator et non soluet, iustus autem miseretur et tribuit. audis, debitor, quid debeas declinare: audis, creditor, quid debeas imitari. et infra: iuuenis fui et senui, et non uidi iustum derelictum nec semen eius quaerens panem. tota die miseretur et faenerat. unde huic iusto quod tota die faeneret? ergo diues iustus est et quanto ditior unusquisque fuerit tanto iustior? qui plus habuerit unde faeneret ipse erit iustior? sed difficile diues intrat in regnum caelorum.

quid ergo faeneret dic mihi, sancte Dauid! contra me protuli testimonium, nisi mihi subuenis. Petrus dicebat: argentum et aurum non habeo: numquid non erat iustus? tu mihi ergo expone quid faeneret. dixisti enim: beatus uir qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in iudicio. inueni quid faenerat iustus. Petrus quoque me doceat et ipse quid faeneret, qui dixit inopi adtendenti ad se et ad Iohannem: argentum et aurum non habeo. nihil ergo dabis pauperi, apostole? das tamen et plus das quam alii, das inopi quod alii donare non possunt, das inopi post quod egere non possit, das inopi quod etiam diuites accipere concupiscunt, das inopi quod hi qui istud argentum et aurum habent conferre non nouerint, quia auaritia eos inpedit, das inopi, qui eum diuitibus facias ditiorem. incitasti animum meum, concupisco hoc donum tuum. dicito. rogo, quid des. noli me diu suspensum reddere; cupio petere si cito soluas. sed soluisti cito: non distulisti inopem, non despexisti precem pauperis, non diutius eum desperare fecisti, non uacuus ad templum ascendisti dicens: argentum et aurum non habeo. non illi soli plenis manibus ascendunt qui aurum et argentum habent: ascendit et pauper non uacuus, ascendit et ille non uacuus, quia aurum

et argentum non habuit. audiamus quid det iste pauper. sed quod habeo inquit do tibi. in nomine Iesu Nazaraei surge et ambula. o optanda paupertas, o ditior inopia! claudicabat cui diuites dabant: unus pauper dedit, et statim qui claudus erat sanus est factus.

Habet ergo iustus quod faeneret, habet et argentum quod faeneret: sermones suos faenerat. hoc est iusti argentum; eloquia enim domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplo. hoc faenerat qui legem accipit, qui legem meditatur, qui legem exercet: hoc faenerauit Petrus, hoc faenerauit Paulus. quibus dicitur, ut ad uiros nationum pergerent, Petro ad Cornelium centurionem, cui dicitur: surge et uade nihil dubitans, quoniam ego misi illos. et surrexit et iuit. et infra dixit: numquid aquam uetare possumus, ne baptizentur hi qui spiritum sanctum acceperunt? iussitque eos baptizari, hoc est: faenerabis gentibus, ut peccata dimittas, debita auferas, tu autem non mutuaberis; mutuatur enim peccator et non soluet peccata sua, quia peccator est. Paulo dicitur: faenerabis gentibus, qui missus ad gentes est, Iohanni dicitur: faenerabis gentibus, Iacobo dicitur ..... quibus dictum est: ite baptizate gentes.

dicitur populo patrum: si custodieris mandata, benedictus eris et faenerabis gentibus uerbum. denique non de pecunia dici significant sequentia: princeps eris gentibus multis: tibi autem nemo dominabitur. constituat te dominus deus tuus in caput et non in caudam, et eris tunc supra et non subter, si exaudieritis uocem domini dei uestri. et sequitur: si autem non audieritis, maledictus tu in ciuitate et maledictus tu in agro. et infra: maledicta progenies uentris tui. non pecunia utique benedictum facit, sed cognitio dei, praedicatio uerbi, si gratiam domini faeneremus, si indigentibus eloquia domini conferamus, si obseruemus mandata caelestia. et contra maledictum non facit, si desit pecunia quae faeneretur; sed si desit studium, si desit obseruatio caelestium statutorum, maledictus eris.

Denique mysterium ecclesiae euidenter exprimitur. primum enim dixit ad discipulum legis: <si audieris legem et custodieris, faenerabis gentibus.\' quod factum est a patribus nostris. faenerauit Moyses gentibus, qui proselytos adquisiuit, faenerauit Iesus Naue, faenerauit Gedeon, faenerauit Samuhel Dauid Solomon Helias Helisaeus, et si quis uolebat uerbum cognoscere, ad illos pergebat: regina austri uenit audire sapientiam Solomonis.

ubi coepit populus Iudaeorum non custodire legem, coeperunt aduenae, hoc est ex populo nati.. onum. qui in esum dominum crediderunt, interpretationem scripturarum illi uetusto populo faenerare. faenerauit Timotheus patre Graeco ortus uerbum Iudaeis, cum sacerdotium recepisset, faeneramus hodieque sacerdotes in ecclesia uerbum Iudaeis, qui de synagoga ad ecclesiam transierunt, faeneramus et nouam et uetustam pecuniam. etenim quam habuerunt iam non habent, oculos habent et non uident. aures habent et non audiunt. pecuniam habent et non habent, quia usum eius ignorant, pretium eius nesciunt, figuram eius et formam non cognouerunt. nam si cognouissent, numquam auctorem eius pecuniae denegassent dicentes: nolumus hunc regnare super nos. qui quidem accepto regno rediens iussit uocari seruos suos, quibus dedit pecuniam et eos qui faenerassent pecuniam praedicauit, ei autem qui pecuniam tenuit otiosam domini sui respondit: sciebas quod ego

austerus homo sum: tollo quod non posui et meto quod non seminaui. et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam? et ego ueniens cum usuris utique exegissem illam.

Audistis quae pecunia boni faeneratoris sit, quae pecunia bonas adquirat usuras, quae pecunia non infamet faeneratorem, non opprimat debitorem, quam pecuniam aerugo non possit obducere, non penetrare tinea, quae pecunia non de terreno thensauro sit, sed aeterno, quae pecunia diuitem faciat accipientem nec aliquid imminuat faeneranti. haec pecunia usuram habet, <ut> non centesimam eius quod dederis portionem, sed centuplum ferat fructum. expande igitur sinum mentis, ut huius pecuniae numeratam tibi suscipias quantitatem: intende cordis optutum, ut agnoscas pecuniae huius imaginem et inscriptionem. certe hanc pecuniam excute, tabulam supra mensam animae tuae, quae stabilis uirtutibus sit, quadratam constitue, conde in thensauro pectoris tui de quo doctus scriba depromit noua et uetera. uides qualis haec pecunia sit, quemadmodum creditorem debitoremque inuisa in se coniungat nomina. qui inuehebar in faeneratores, iam prouoco debitorem. huius ergo faeneratores pecuniae uos esse desidero, ut ad uos qui mutuum sumant sponte festinent, per quam non nummum, sed regnum possitis adquirere, per quam non maledicta quaeratis, sed benedictionis gratiam.

hanc pecuniam faenerat populus nationum, qui sciuit accipere faeneratum, qui sciuit cernere, qui sciuit excutere. recusasti indiga faenoris spiritalis: egere coepisti. de te igitur a dei filio dictum est: mutuabitur peccator et non soluet. tibi dicitur: aduena qui est in te ascendet super te, tu autem descendes in imum. nescit enim summum qui Christum ignorat, in inferno semper est qui non ascendit ad Christum, in summo autem populus qui uerbum recipit. hic habet fidei omne patrimonium, de hoc dicit lex: hic tibi faenerabit, tu autem non faenerabis ei: hic tibi erit caput, tu autem eris cauda, hoc est: ille erit primus, tu ultimus et abiectus. auferam a Iudaea caput et caudam, initium et finem: initium Christum, qui interrogatus qui esset respondit: initium, quod et loquor uobis. finem quoque Christum dicit; ipse est enim finis legis ad iustitiam omni credenti. ergo qui non credit ad iustitiam nec initium nec finem habet, sed ipse sui finis est.

Cognouimus faenus legitimum, cognoscamus et pignus, quod lex reddi iubet ante solis occasum. quod sit istud audi dicentem apostolum: dedit deus pignus spiritum in cordibus nostris. tripliciter autem et pignus et conmendatum et depositum dicitur. pignus dicunt quod pro mutuo aere susceptum est, conmendatum autem et depositum quod nos custodiae causa alicui commisimus. unde ait apostolus: scio cui credidi et certus sum, quia potens est commendatum meum custodire in illum diem. depositum quoque idem docuit quod esset dicens: bonum depositum custodi per spiritum sanctum, qui habitat in nobis. numquid spiritus commendati argenti aurique custos est aut per spiritum sanctum pecunia custoditur? spiritale igitur pignus custoditur ab spiritu, ne aues caeli ueniant et auferant illud de cordibus nostris.

petamus ergo, ut custodiat in nobis Christus hoc pignus, quod ipse donauit, et depositum suum conmendatumque conseruet; nihil enim accepit a nobis, sed ipse nobis credidit quod nostrum non erat. et ideo detrimento honestatis adficitur qui depositum uiolarit alienum.

si commendatum hominis nulla debemus fraude uiolare, quanto magis diuinum et spiritale depositum bona fide seruare nos congruit, ne et existimationis et utilitatis grauia damna subeamus!

hoc igitur pignus est, quod lex prohibet pignoraii et uiolenter auferri. sic enim habet scriptura: si debitum tibi fuerit a proximo tuo quodcumque, non introibis in domum ipsius pignorare pignus, et homo apud quem est debitum tuum proferet tibi foras pignus. si autem homo ille pauper fuerit, non dormies in pignore ipsius, sed redditione reddes ei pignus ipsius ad occasum solis, et dormiet in uestimento suo et benedicet te et erit in te misericordia.

Dices itaque mihi: ecce lex auferri pignus prohibuit, non suscipi, pauperi autem iussit reddi, non omnibus. ac de corporalibus quidem pignoribus satis etiam Hesdra nos docuit quod iam, faeneratores, aduersus patrum uestrorum non possitis uenire professionem. nam cum iuberentur qui faenerauerant et acceperant aliena pignora, ut restituerent ea, dixerunt: reddimus et ab ipsis nihil quaerimus. boni patres, qui statuerunt pignora debitorum esse reddenda, boni etiam faeneratores, qui responderunt quod et pignora redderent et pecuniam non requirerent, quam dedissent. et sententia uos paternae censitionis his adstringit et professio creditorum.

Sections 71 to 93

i est autem et aliud pignus, quod lex spiritalis prohibet auferri et si datum fuerit, reddi iubet ante solis occasum, quod homo debitor reddit et ipse protulit. debitor est autem omnis qui audit uerbum regni et non intellegit. uenit malus et rapuit quod seminatum est in corde ipsius. noli ergo introire in domum eius, ut illud pignus accipias. uae enim qui scandalizauerit unum de pusillis istis! si sua stultitia amiserit pignus suum, tu non habebis delictum. si autem pauper fuerit, redde pignus ante solis occasum; pignus autem uestimentum est. si sibi diues uidetur, ipse se decipit, si pignus tradiderit suum: si autem pauper, qui non habeat diuitias spiritus, redde illi uestimentum suum ante solis occasum.

si de corporali ageretur pignore, utique magis per diem reddendum fuit, ne turpitudo nudi corporis diurno lumine proderetur; tenebrae etenim nudum non produnt. ac si hoc moueret, quod non haberet pauper quo dormiens tegi posset, utique aut stragulum aut amictum diceret esse reddendum. nunc autem dicendo uestimentum tunicam magis significat, quam induimur atque uestimur. redde ergo pauperi tunicam suam, ut dormiat in ea noctu.

Nonne tibi uidetur illum pauperem significare, qui cum una tunica iubetur pergere, alteram non requirere, missus a Christo ad euangelium praedicandum? ipse enim est pauper spiritu, qui dormire possit; nam satiato diuitiis, non est qui sinat eum dormire. dormit enim pauper somnum resurrectionis, quem diues dormire non potest, quia a diuitiis et uoluptatibus suffocatur. dormit Christi quietem dicentis: ego dormiui et quieui et surrexi. haec est tunica illa desuper texta, qua erat Christus indutus, quam scindere non potuerunt illi milites, quos agnoscis. nullus enim eorum uestimentum Christi scindit, sed diuidit,. sicut scriptum est: diuiserunt uestimenta mea sibi et super uestem meam miserunt sortem. diuiserunt sibi euangelistae uestimenta eius et super uestem eius, hoc est super praedicationem euangelii, qua uestitur hodieque dominus Iesus, miserunt sortem, illam utique sortem, quae cecidit super Matthiam, ut apostolorum numero duodecimus excluso nomine proditoris adiungeretur. bene autem de euangelistis dictum est quia miserunt sortem; sors enim ueluti diuino pendet examine. et ideo quia non potestate propria sunt locuti neque omnes eadem omnia, sed plerique diuersa dixerunt, quae alius non dixerat, sancti spiritus gratiam uelut sortito illis ea tribuisse cognoscimus, quae loquerentur singuli de operibus domini Iesu, ut eius sibi describenda pro eius nutu gesta diuiderent.

est et illa tunica, quam demonstrat apostolus dicens: induite dominum Iesum. haec est tunica, quae inhonesta operit nostra et in his honestatem abundantiorem circumdat in Christo. induimus uiscera misericordiae in Christo, induimus crucis gloriam, quae Iudaeis scandalum, Graecis stultitia. illi erubescunt qui eam erubescendam putant, nobis autem absit gloriari nisi in cruce domini Iesu. haec ignobilia nostra honorem abundantiorem habent, quia per passionem domini regnum nobis paratur aeternum; quo enim quis plus peccauerit eo plus diligit. consepeliamur igitur domino Iesu, ut participes resurrectionis eius esse mereamur, expoliemus ueterem hominem cum actibus eius, induamus nouum, in quo remissio peccatorum. Bonus ergo amictus atque uestitus uerbum dei.

hoc uestitu filii Noe pudenda patris operuerunt accipientes super umeros uestimentum et retrorsum pergentes, ne uiderent uirilia patris, hoc est corporea, quae habent pudorem quendam generationis humanae. et ideo qui uidere uoluit angustioris animi dignam mercedem recepit, ut seruos fieret — omnis enim qui facit peccatum seruus est peccati —, unde ille in terrenis remansit. hoc pauperi nemo tollat uestimentum aut si tulerit, sol non occidat super despoliatum, cum ante restituat, ne peccatum pauperis faeneratori possit adscribi et non solum suo, sed etiam alieno incipiat laborare peccato.

hoc pignus in hac saeculi nocte reddatur, hoc uestimento in his mundi tenebris induatur. hoc pignus illius dominicae sortis est, non illius contrariae. legimus enim duas sortes in Leuitico, de quibus dictum est: unam domino facies, alteram transmissori. transmissor sortem suam ad faeneratores transmisit, serui domini in sorte sunt Christi. in hac sorte constitutus Aaron contrariae sortis exclusit aerumnam, cum inter duas partes populi constitutus mortem a defunctis serpere in sortem uiuorum sui corporis non permisit obiectu. huius sortis bonum pignus est uerbi amictus. hanc uobis tunicam nemo auferat, debitores, hanc tunicam nulli oppigneretis, si uultis numquam turpitudinem sustinere, ut dormiatis inter cleros sicut Aaron, dormiatis inter duo testamenta, ut dormiatis somnum resurrectionis et uos reparare possitis. hoc est uestimentum. quod etiamsi oppigneraueris, recipiendum san-_ ctus Solomon in Prouerbiis suadet dicens: aufer uestimentum tuum; praeterit enim iniuriosus.

sapientiae uestimentum est ex illis indumentis, quae ex bysso et purpura sapientia sibi fecit, hoc est: indumentum fidei constat ex praedicatione caelestium et dominicae sanguine passionis: bysso aetheria figurantur, purpurae specie mysterium sacri sanguinis declaratur, quo regnum caeleste confertur. denique uestimentum sapientiae significari superiora indicant; praemisit enim dicens: sapiens esto, fili, ut laetetur cor tuum et infra duos uersus ait: inprudentes autem superuenientes damnum pendent. aufer uestimentum tuum. aufer igitur, ne damnum excipias inprudentiae, ne exutum te proprio uestimento nequissimus ille communis faenerator agnoscens confusionem tui detegere conetur opprobrii et persuadeat tibi, ut te foliis tegas et nudum te esse conspiciens in dei uerearis uenire conspectum.

Redde inquit proximo in tempore, coangusta uerbum et fideliter age cum illo, et in omni tempore inuenies quod tibi necessarium sit. non amat multis innocentia se defendere. Susanna uocis adsertione non eguit: uerbum coangustauit ad dominum et statim adipisci

meruit castitatis propriae testimonium. plurima presbyteri loquebantur, qui laborabant uerborum fuco obducere ueritatem, sed non filia Iuda. tacuit aput homines, locuta est deo. erubescenda erat in plebe ipsa defensio muliebris et,- dum pudor defenditur, inpudentia praetendebatur. coangustauit uerbum dicens ad dominum: tu scis quia falsa dixerunt de me. et dominus spiritum Danielis pueri castitatis excitauit ultorem.

coangusta ergo uerbum, ut redhibitio creditori, non lingua respondeat, siue mystice: coangusta uerbum, hoc est consumma; uerbum enim consummans et breuians faciet dominus super terram, hoc est ei multis ratiociniis adbreuiata tibi summa conueniat. deducito quod expensis diuersis est erogatum, ut saluum habeas quod supersit, quomodo dominus de multis dispensationibus Iudaeorum ex multo illo ratiocinio peccatorum consummauit tandem atque breuiauit, ut reliquiae saluae fierent per electionem gratiae et seruarentur ad semen, per quos intermortuam spem synagogae resuscitaret.

Quam deforme est, ut pro beneficio ei qui te adiuuit rependas molestiam! cum istum fraudaueris cui debes, postea in tempore necessitatis tuae non inuenies creditorem. quam indignum, ut cum uictum tuum sustentare non queas, cum adhuc nihil debeas, putes quod et uictum tuum possis et debitum sustinere. ante cogita unde dissoluas et sic mutuum sume. (fructus) inquit \'agrorum capio.\' sed qui non abundant usui quomodo abundabunt contracti faenoris incremento? sed possessionem meam uendo. et unde fructus, quibus utaris ad sumptum? faenus non pecunia sua soluitur, sed augetur: numerando coaceruatur et crescit.

deinde non cogitas humilitatem et uerecundiam postulantis? donec accipias, oscularis manus faeneratoris superbi, humilias uocem tuam, ne clarior sonitus uocis tuae auris eius offendat, ne plures te audiant deprecantem. paupertas non habet crimen, nulla indigentiae infamia est, sed debere uerecundum est, non reddere inuerecundum. postulabis dilationem, cum coeperis conueniri in tempore praescriptae solutionis: pro pecunia adferes taedia, causaberis de tempore, excusationes strues et, cum totum promiseris, ne in uniuersum fraudare uidearis, uix dimidium restitues. de amico inimicum facies,. pro honore referes contumeliam, pro benedictione maledictum. quam haec opinionem laedant considera, quam a uiro bono discrepent recognosce.

ergo dum liber es a uinculis, ipse te retrahe, reuoca a iugo et onere seruitutis. diues es: non sumas mutuum. pauper es: non sumas mutuum. diues es: nullam pateris petendi necessitatem. pauper es: considera soluendi difficultatem. opulentia usuris minuitur, paupertas usuris non eleuatur; numquam enim malum malo corrigitur nec uulnus curatur uulnere, sed exasperatur ulcere.

Haec uide, ne, dum pecuniam petis, molam tuam obliges aut lapidem supermolarem. mola est qua similago conficitur, qua molit similaginem una mulier, quae adsumitur, et altera, quae relinquitur. fortasse illa adsumitur quae semper molit dei uerbum, ut habeat similaginem, spiritalem farinam facit, expurgat uetus fermentum, ut sit noua conspersio, custodit molam suam, interpretatur scripturas, seruat sibi lapidem supermolarem: illa autem

relinquitur, quae oppignorat molam suam. cum aliquid emoluerit perfunctorie, oppignorat lapidem qui est super molam. quis iste sit lapis quaero. legi: lapidem. quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. quare super molam? quia ipse est qui molentes adiuuat, ipse est qui dicit: scrutamini scripturas, in quibus putatis uos uitam aeternam habere.

noli, faenerator, hunc lapidem supermolarem oppignorare, ne cadas super illum; omnis enim qui ceciderit super hunc lapidem conquassabitur, supra quem ceciderit autem comminuet illum. nec uiduae pignus suscipias. graue et secundum litteram utrumque, ut usum instrumentumque uiuendi egeno auferas aut uiduae pignus detrahas, sed grauius, si animae, quae uerbi uidua est, uerbum teneas, ut ei sterilitatem uiduitatis indicas.

Atque ut sciatis quod amanti haec affectu suadeam, ut sciatis quod liceat et bene faenerare, ostendam uobis quem faeneratorem debeatis imitari. duo inquit erant debitores uni faeneratori; unus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta. non habentibus illis unde redderent donauit utrisque. quia ergo eum plus diligit? respondens Simon Pharisaeus dixit: aestimo quia is cui plus donauit. et laudata est eius sententia dicente domino: recte iudicasti. recte iudicauit Pharisaeus, qui male cogitauit putans quod ignoraret magis dominus peccata mulieris quam donaret. sed laudatur eius sententia, ut excusatio ei omnis adimatur.

plus remissum est ecclesiae, quae congregata est ex populo nationum, quoniam plus debebat, sed et ipsa plus soluit non exigenti, sed donanti. dedit aquam pedibus Christi, quia sua peccata mundauit, osculata est pedes, ferens pacis insignia misit oleum in pedes eius misericordiam et ipsa in pauperes conferendo — isti sunt pedes Christi; in his etenim innocentius ambulat Christus — et capillis capitis sui tersit; Christo enim humiliatur quicumque habet humilitatis affectum. et ideo inquit dimissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum.

aduerte quod dominus et misericordiam quasi liberalis inpertit et iudicium cum miseratione dispensat. ante donauit per gratiam, sed quibus donaret sciebat. non habet quod excuset Iudaeus. mihi quasi peccatori plura donauit, illi quasi ingrato minora concessit. sciuit tamen quod et ille quasi ingratus non posset quod accepisset exsoluere et ecclesia memor gratiae eo plura solueret quo plura meruisset.

Habetis ergo quem sequamini faeneratorem, si uultis laude donari, si uultis non esse quod reprehendatur a nobis. nos enim non personae obtrectamus, sed auaritiae. nec fefellit dixisse aliquos, cum ante hoc biduum tractatus noster eorum conpuncxisset affectum: (quid sibi uoluit episcopus aduersus faeneratores tractare, quasi nouum aliquid admissum sit, quasi id non etiam superiores fecerint, quasi non netus sit faenerare?\' uerum est nec ego abnuo, sed et culpa uetus est. J denique peccatum ab Adam, ex illo culpa, ex quo et Eua, ex illo praeuaricatio, ex quo et humana condicio. sed ideo Christus aduenit, ut inueterata aboleret, noua conderet, et quae inueterauerat culpa renouaret gratia, ideo se passioni optulit,

ut renouaret spiritu et absolueret uniuersos, diabolus autem Euam decepit, ut subplantaret uirum, obligaret hereditatem. quid faeneratores faciunt?

decipiunt defaeneratos, obligant fideiussores. sed non Tobias pignus quaesiuit aut fideiussorem poposcit. currendum est igitur, ut fideiussorem requiras, ut eum tuis nominibus obstringas. ecce paratur alter inimicus. nam cum tu non habueris unde debitum soluas, ille pro te tenebitur. inuenieris in eo circumuentor et fallas, qui amicum deceperis. ille nudabitur, ille pro te in uincla ducetur, illum grauiorem exactorem creditore patieris, qui alleget: \'stimula ciuem tuum, quem spopondisti.\' ita fiet, ut ipse quoque esse incipias ingratus et praetereas illud quod scriptum est: gratiam repromissoris ne obliuiscaris; dedit enim pro te animam bonam. necesse est dicas: (quis enim te quaerebat fidem dicere? nam nisi tu fidem dixisses, ego non accepissem pecuniam. adulteram accepi pecuniam, aes auro admixtum mihi dedit: utinam te non optulisses! fortasse te creditor subornauit uel tu illum).

ergo cane ne alieno te obhges debito, ne hoc quoque uendidisse dicaris, ne si quid tibi, ut habet usus amicitiae, debitor dederit gratiae, te uideatur emisse. aut si uis interuenire, moueris amici obsecratus oratis, erubescis negare, ita interueni, ut si debito soluendo < par> non fuerit, de tuo noueris esse soluendum. in haec paratus accede. legisti enim: non spondeas super uirtutem tuam; si enim spoponderis, quasi restituens cogita et infra: recipe proximum secundum uirtutem tuam et adtende tibi ne cadas, id est ne maiore te obliges nominis quantitate quam ferre possunt atque exsoluere tuarum copiae facultatum. si enim quod habes tradas, amisisti opes, non amisisti fidem. famae tuae damna non sentis, redemisti amicum sine tua fraude. alibi quoque id te monent Prouerbia Solomonis dicentis: spondens sponde amicos tuos, quemadmodum qui obligat se sponsorem amicorum suorum. si autem non habes, audi quid dicat Solomon: noli dare te in sponsionem erubescens personam; si enim non habueris unde soluas, auferet stramentum desub lateribus tuis. ergo bonus faenerator adquirit gratiam, execrationem inprobus.

Sed non his tantam uirtutum finibus contentus sanctus Tobias mercennario quoque sciuit soluendam esse mercedem. dimidium usque optulit meritoque pro mercennario inuenit angelum. et tu unde scis, ne forte iustum aliquem mercede defraudes, peius, si infirmum — uae enim illi qui scandalizauerit unum de pusillis istis! — qui scis an in eo angelus sit? neque enim dubitare debemus quod in mercennario possit esse angelus, cum esse possit Christus, qui in minimo quoque esse consueuit.

redde ergo nfercennario mercedem suam nec eum laboris sui mercede defrudes, quia et tu mercennarius Christi es et te conduxit ad uineam suam et tibi merces reposita caelestis est. non ergo laedas seruum operantem in ueritate neque mercennarium dantem animam suam, non despicias inopem, qui uitam suam labore exercet suo et mercede sustentat. hoc enim interficere hominem, uitae suae ei debita subsidia denegare. et tu mercennarius es in hac terra: da mercedem mercennario, ut et tu possis domino dicere, cum precaris: da mercedem sustinentibus te.

Tobis tibi dicit: luxuria mater est famis, in quo continentiam docet. dicit etiam: mercedem omni homini, qui penes . te operatus fuerit, redde eadem die et non maneat penes te merces hominis; et merces tua non minorabitur. dicit tibi: noli bibere uinum in ebrietatem, dicit tibi: de pane tuo communica esurientibus - uides quid te faenerare cupiat — et de uestimentis tuis nudos tege. ex omnibus quae tibi abundauerint fac elemosynam. omni tempore benedic dominum. in his itaque faenus aeternum est et usura perpetua.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Sanctii Ambrosii Opera*** edited by Karl Schenkl (Prague, Vienna, Leipzig, F. Tempsky, G. Freytag: 1897) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum 32.2), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.